



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

Laurentius, & Sanctus Gregorius magnus, visibili in specie militaverunt. Deus exercituum, cum Angelis suis pugnat cum Imperatoribus Pius, contra impios inimicos Crucis Christi; quorum finis interitus.

V I I.

QUINDECIM Imperatores Austriaci, à Rudolpho primo, usque ad Leopoldum; fide Catholicâ, arctissimè uniti, unico visibili militantis Ecclesiæ Capiti, summo Christi in terris Vicario, & in primis pietate Eucharisticâ ob armati, ac roborati, inimicos Religionis, Catholicæ, Romanæ debellaverunt: Deo exercituum perpetuò Austriacorum Principum auxiliatore, & adiutore in opportunitatibus.

I. Primus omnium Rudolphus victoriosus, à Gregorio X. Crucem accepit, constitutusque est Dux Belli Sacri; qui pietate Eucharisticâ & Crucifixo, pro sceptro, & gladio munitus, hostes Dei, Romanæ Ecclesiæ, & Imperii vicit. Semper felix Imperium est Ducis, qui Crucis imprope-

Bb

rium non fugit, & Eucharistico Sacramento roboratur. Enimverò nihil Augustæ Rudolphi famæ defuit, quando quatuordecim victoriis, suis superior hostibus, amicum posteris reliquit imperium; in quo quidquid hodiè magnum cernitur Austriacum dicitur.

2. Victoriâ triumphus sequitur, victoriosum Patrem triumphator Filius, Rudolphum primum, Albertus Primus. Non possunt infeliciter geri Bella, quæ pro Deo, Ecclesiâ, & salute populorum suscipiuntur; in quibus pari labore defudant pietas, & iustitia. Fundatum à Rudolpho in Eucharistico Sacramento, & in Crucis signo Austriacis Imperium: in iisdem ad perennitatem stabilitum est.

3. Sublato Alberto primo Austriaco, Imperii pomum, factum est discordiæ malum. Tunc quidem non est datum pulcherrimo: qui nimis inhabitabat Imperii Majestati, fraudatus votis ingemuit, qui minus ambiebat, superavit sua, aliorum vota explevit. Ita honor quærentem fugit, fugientem quærit: ac velut umbra fugit, si se-

quæris, sequitur si fugis. Sed corri-
 vali extincto, Fridericus III. à vul-
 tu Pulchri, ab animo Fortis nomen for-
 titus, electus est in tertium Impera-
 torem Austriacum, Majestatem ge-
 minâ veluti base sustinuit; ut quam-
 vis amabilis, tamen fortiter imperaret;
 verùm tranquillitatem Austriæ, no-
 vus Imperii turbo excepit, qui ipsum
 etiam Fridericum involvit. Bis Impe-
 rator jure, & authoritate Pontificis
 semper legitimus, armorum satur,
 pietatis castra ingressus, Christianissi-
 mè expiravit.

4. Per centum & amplius annos,
 Austriacis interposita parenthesis,
 clausa est per Albertum secundum ho-
 norificum; postquam Austriaca linea,
 sic in Imperium ducta est, ut nulla fue-
 rit huc usque intercalaris. Omnes Al-
 bertum Cæsarem exoptabant, solus
 ipse timebat imperare, ne libertatem
 mentis amitteret: metuo, ajebat, ma-
 jora meritis possidere, fortè saluti meæ
 moram injectura. Eugenii IV. Pater-
 na monita, Concilii Basileensis pia
 consilia, omnium Electorum preces
 intercedere debuerunt. Sic maximis

digni honoribus, honores fugiunt, quos indigni ambiunt. Posside imperium, tuæ salutis ne metuas Alberte! metuendum est salutis Imperii, si te non possideat: cor enim Germaniæ Austria est, metuendum est corpori, si caput vitam non sumat ex corde. Quam Piè Imperium suscepit Albertus, tam fortiter mox Hungariam defendit contra crudelem Amurathem: breve fuit Imperium Alberto, sed in longam posteritatem ejus merita supervivunt. Cælo delapsus Princeps biennio, rerum gestarum magnitudine sæcula implevit: victor redux, martis insidias advertens, Regem Regum pro inimicorum salute orantem imitatus, Domine ignosce illis, inquit, qui in hac meâ morte rei sunt: & ego eisdem ignosco propter te. Vitam Christi, qui vivunt, mortem Christi moriuntur Principes Austriaci.

5. Fridericus IV. Pacificus, primus Austriacorum Cæsarum Vicariâ Dei manu Coronatus est. Magnum Dei Donum orbi Christiano, Imperator pacificus: id est, Dei optimi, maximi, Dei pacis, & benedictionis

filius, mitissimus hic Princeps, inter arma natus, armorum hostis, martis osor, ferrei parentis, aureus filius, pacis studio omnibus amabilis; inter ferales Martis Cupressos plantavit oleam pacis. Est hæc Austriacis innata, Majorum virtute regnandi ratio, amore, non ferro dominatum in subditos exercere. Non aliis usus armis pacificus Imperator, quàm, quæ primæ sunt regnorum firmamenta *Pietate & Justitia*, ut secundam humanis rebus tribueret; primam divinis rebus curam impendit, cùm decem & amplius lustris, imperium servasset in armistitio, Imperator pacificus, è terris in Regionem pacis emigravit.

6. Maximilianus primus, parente natus pacifico, lucem non aliam cœpit intueri, nisi quam amica diuturnæ pacis serenitas Germaniæ infudit. Vel à teneris adultæ sapientiæ, Maximilianus, ut sui nominis mensuram impleret; virtutem adjecit, Religione in Deum, pietate in subditos, in hostes humanus, in omnes munificus, Coeli favores, hominum amores attraxit. Inter ardua saxorum præcipitia,

unde vel oculis metiri relictum, erat
 mortis imago, perire debuerat; nisi
 quò homines attrahere non potuit,
 detraxisset de Cœlo Superos in obse-
 quium: *Pietas Eucharistica Maximili-
 liani*. Nimirum nunquam vicinius si-
 bi Cœlum experiuntur Austriaci Prin-
 cipes, quàm in summis angustiis. Est
 hæc Austriacæ Domus felicitas, etiam
 cum maximè periclitatur, cæteris
 eminere: unicus tanti nominis, & po-
 tentiæ hæres, cum parum abesset à
 casu, parum abfuit Austria ab occasu.
 Sed tamen & hinc Austria felicitatem
 tuam ominari licet, nam verè Austria-
 cæ Domus stat gloria, quando illius
 basis, in solidâ Petrâ stabilita est, &
 quæ Dei conjuncta sunt manu, fru-
 stra mortalium violentia convellere la-
 borat. Inter pacis studia, Belli curas
 deferere non potuit, laceffitus undi-
 que, ubique victor, sapiens, Pius, &
 hæroâ fortitudine præditus Impera-
 tor, primum superba Othomanicæ
 lunæ cornua attrivit; effusa in Croa-
 tiam Turcarum examina, adventu
 terruit, aspectu fugavit. Hinc evoca-
 tus in Gallias, expertus est, vel inter

lilia, sibi lauros succrevisse. Vidit victorem Geldria, Germania triumphatorem, extimuit Italia vindicem. Cum vicisset omnes inimicos suos Maximilianus, vicit etiam quam timere contempsit mortem: qui ultimo vitæ triennio, quasi captivam in triumphum ducens, mortalem ubique sarcophagum circumduxit. Tandem sive fractus laboribus, sive fessus victoriis; cumlatus meritis, natus in pace Princeps, Piè, uti vixerat, requievit in pace.

7. Maximilianum primum sequitur Carolus quintus, qui & in Pace dominari, & in Bello vincere nosset. Ea in Carolo æquitatis, ac pietatis eluxit gratia, ut vix dum juvenis jam clavo, & clavæ Reipublicæ adhibebatur. Consilio magnus, ac industriâ invictus Princeps: à Patre Belgii, à Matre Hispaniæ, Neapolis ac Siciliæ, ab Avo Imperii gubernacula suscepit: nescio an prodigam, an prodigiosam magis fortunam sortitus; non placent auribus Catholicis ista fortunæ, aut fati nomina. Egregiè suo more Augustinus, Augustis Imperatoribus Paganis Au-

gustior; Si quis inquit fortunæ, aut
fati nominibus divinam Providentiam,
in orbe sapientissimè & justissimè lu-
dentem nuncupat: sententiam teneat,
linguam corrigat.

Anno sæculi decimi quinti, decimo
nono, expiravit Maximilianus primus,
& universæ Germaniæ induxit tene-
bras, donec inspirante illo, in cujus
manu sunt omnium potestates, & om-
nium jura regnorum, & conspirante
Septemvirorum feliciter voto, inter
planetas Imperii Sacri, sol illuxit Ca-
rolus, Victorias Caroli quinti non nu-
mero, unum dico, victoriosum stetisse
Carolus, contra fidei, & pietatis de-
sertores, assertorem. Confertos inter
hostium manipulos, vix confertæ ma-
nus, ferream undique, emissâ glande
transmittunt grandinem; non minori
piaculo, quàm jaculo, trajectum in
vexillo Crucifixum, Pius indoluit
,, hoc voto Cæsar, Domine, hujus te
,, injuriæ judicem, me per te vindi-
,, cem statue. Et continuò, Deus
aurem verbis, lauream vertici adhi-
,, buit: Nunquam supplex bellat, cu-
,, jus in Bello complex est Numen.

Audite gratum Regi Regum Cæsarem; non Julium Romanum, sed Carolum Germanum: Veni & vidi, sed Christus vicit.

Austriacus pro Deo, & Romanâ fide zelus, patrium mutare solum sæpè Carolum coëgit: Africam Christianis offensam defendit Barbaries, quibus Ottomanni leges, nec portam Orientis concessere, cessere tamen victori Carolo: facilè contra inimicos Crucis Christi reportavit palmum Cæsaris, qui Crucem è palma nunquam dimisit. Solimano Viennâ obsidione pressâ, Hungariâ obsidibus destitutâ, missâ solum à Carolo in pugnae signum Chirotecâ, à pugna deterret Barbarum, qui fugam ut excuset, sic incusat: Non te Carole, sed fortunam tuam timeo. Sed quis amabo compaginabit omnia, quæ Caroli propagavit industria & animi magnitudo, Eucharisticæ pietati conjuncta? A septimo decimo ætatis anno, annuas ferè suscepit expeditiones: novies in Germaniam, à qua Carolus vocatus est magnus; sexies in Hispaniam, in qua Alexander audiit magnus; in Italos septies,

qui in Carolo Christianum Davidem coluere: in Gallos quater, qui in Cæsare Herculem suspexere: Belgium decies, Britanniam bis ingressus, semper dominans, aut domans: Bino Africam vel fudit, vel confudit prælio; unde meritò à Turcis Julius, ab Afris Hannibal dictus: uno verbo militia perpetua fuit tota Caroli vita super terram.

Sed quadraginta paternis regnis, triginta sex Imperio expensis annis, Deo uni, & sibi ut viveret duos impendit: addicto enim Cœlis animo, abdicato terris Imperio, militem exiit, Eremitam induit; ut in solitudine, magnarum mentium statione, sine sollicitudine degens, in soliditate fidei, sancti timoris, & Eucharisticæ pietatis stare usque in finem.

8. Carolo Quinto, in Imperio succedit ejus frater natus minor Ferdinandus Primus: ferrea nomina aurei Principes, à Ferdinando primo auspiciantur. In ea enim tempora inciderat, quibus aurum nec in cœlitum Aris, ab hæreticorum perfidiâ, nec in Provinciæ ærariis à Turcarum insidiis tutum

erat, nisi in sui custodiam ferro muniretur, ita illud quod omnes amant, muniendum est, eo quod omnes timent. Expedi aliquid esse, quod aureos Principes rigidos faciat; ne dum nimis amantur, formidari desinant: amore & timore omnia regna gubernanda sunt: sicut enim bonos subditos non habet, qui solum timetur Princeps: sic non potest populos in officio continere qui solum amatur. Ideo Deus per quem Reges regnant, & Principes jura decernunt, vult amari & timeri ab omnibus: semper enim Deo, & Principibus à Deo constitutis est fidelis, qui timorem & amorem conservat perpetuum.

Ferdinandus pacis amantissimus Princeps, quam quærebat suis, ipse sibi possidere non potuit: non potuit inquam, tranquillum regni tenere solum Ferdinandus, nisi deturbatis iniquis possessoribus, & rebellibus victis: nunquam tamen, vel in æstu victoriæ, se Austriacum oblitus est. Ita punivit reos, ut laudaretur clementia victoris, & ultoris benignitas; qui ne omnes plecteret, in paucos animadvertit:

illis folis ademit capita, qui turbam
 vocabant ad pileum. Communia enim
 delicta, multorum metu, paucorum
 cæde castiganda sunt: hâc nimirum
 sapientiæ, & fortitudinis commenda-
 tione; duabus veluti rotis, ad Impe-
 rii Romano-Germanici Majestatem,
 jubente Carolo V. nolente Saxone,
 consentiente reliquo Collegio, plau-
 dente populo, Aquisgrani inauguratus
 est Ferdinandus. Universâ propè Ger-
 maniâ extinctus pietatis ignis, undique
 flantibus furiosis hæreticorum ventis,
 in unum Ferdinandum velut in cen-
 trum se reduxisse videbatur; cum mul-
 ta gloriosè, hoc etiam prodigiosè præ-
 stitit, Ferdinandus primus, quod ita
 vixerit Imperator, ut credatur sine
 lætali maculâ decessisse.

9. Maximilianus II. è cunis ad cu-
 ras progressum facturum, Carolo V.
 Imperatoris aulam, ingressus est puer,
 pluribus par coronis egressus: eis-
 dem cum Philippo II. Hispaniarum
 Monarchâ Carolo Imperatoris Filio,
 formatus institutis, ad pacem, & arma;
 ad scepra, & coronas maturuit. Cæ-
 sarum enim disciplina, est eruditio

imperandi. Carolum cùm spectares
 discipulus, Caroli prudentiam & for-
 titudinem exprimebat; fortunâ & fa-
 mâ, sicut Carolo semper addictæ, di-
 dicerunt & Maximiliano servire. Ita
 nempè, communis quædam Austria-
 cis est virtus, ut alium ab alio, præ-
 terquam nomine, non distinxeris:
 Princeps pacis amantissimus, illam ta-
 men Imperio dare non potuit, nisi
 debellatis hostibus; adeo verum est,
 si vis pacem para bellum: est enim ple-
 rumque boni Belli filia pax bona: nec
 potest esse Bellum justum, quod non
 ordinetur ad pacem bonam, ut me-
 dium ad finem. Oderunt Austriaci Prin-
 cipes bella gerere, & hostes ad pacem
 flexisse contenti, arma abjiciunt; ita
 quidquid in naturâ est generosum, est
 simul mite & benignum: nec profilit
 in furores nisi irritatum. Irritare ubi
 desieris, omnem iram flexisti. Reliqua
 Imperii sui parte felix ut esset, minus
 imperavit, imperavit tamen, quod li-
 buit, etiam non jubendo, hoc est im-
 perandi arcanum: non uti summo ju-
 re, nec pro absolutæ potestatis men-
 surâ, sua in subditos imperia extendere.

Hinc quod ore proferebat, sæpius;
facto ostendit semper; bonum Princi-
pem à Patre nil differre.

Omnes optimi Imperatoris partes
implevit Maximilianus secundus, eru-
ditus præteritis, moderatus præsentibus
prospexit futura, & tandem felix re-
gimine, fessus victoris, gravis tro-
phæis, æquitate, justitiâ, & pietate
inclitus, Ratisbonæ, Christianissimè
occubuit.

10. Rudolphus secundus, idem
cum primo sortitus nomen conspiravit
in facta: quam ille gentem prudentiâ
fundavit ad coronas, hic eâdem pru-
dentiâ servavit ad gloriam, à puero id
connisus est, ut nominis majestatem
factorum gloriâ adæquaret. Duo ad
prodigium conjunxit, Majestatem &
Amorem. Severitatem aspectus, facili-
tate alloqui temperavit; aures habuit
quæ Principem decent, apertas omni-
bus, aditus nunquam oclusos: ingressæ
per aurem calamitates, illicò animum
occupabant: nemo accessit miser, quin
rediret felicior, quasi ad felicitatis fo-
rum populi omnes confluebant ad Ru-
dolphum: ejus prudentia non modò

pacifica fuit, sed fortis, & bellicosa; in vasta Hungariæ planitie, campum martium sortita, omnes arbores Laureos, & palmas fecit.

Albam cæſorum ſanguine purpuravit, Strigonium extorſit, Jaurinum ad deditiōem coëgit, Sinanem Baſſam ſæpe fudit, confudit, fugavit; Mahometem afflixit, Ibraimum attrivit; Valachos & Tartaros ad juramentum fidelitatis adduxit: tandem tot victoriis glorioſus, tot onultus Laureis, Aſiæ terror, Europæ tutor emoritur.

II. Mathias. Imaginem optimi Cæſaris ut mundo exhibeas, Virtus, Mathiam Auſtriacum Imperatorem depinge, ſed ante omnia piſſimum Imperatorem Mathiam voca, omnis in homine ab animâ motus; omnis in Principe à pietate actio, exangue Principis cadaver eſt Cæſar non Pius, Religio Orthodoxa Auſtriacis eſt motus & quietis principium.

Cùm amabilis eſſet omnibus, nullum habuit hoſtem, niſi quem pietas. Wormatio Judæos exturbavit: Hungariâ Turcas; utrobique Belli Sacri Dux, Dei cauſam egit; nuſquam arma laudabilius

fulminant, quam pro Deo in impios
 Ubique Orthodoxam Religionem
 conservavit, defendit, propagavit:
 Zelator, sapiens, fortis, felix, vigilans,
 justus, liberalis, mansuetus, atque ama-
 bilissimus Imperator, ab omnibus est
 dictus. Maluit enim Mathias cives suos
 amicos esse quam servos: Metus & ter-
 rores infirma Imperii vincula dicebat;
 at amari, coli, diligi, & fidissima est, &
 tutissima Regum custodia; non modò
 Austriaca amabilitate totum rapuit
 imperium, sed amoris sui imperium ul-
 tra regnorum suorum limites in Gallias
 usque extendit: amoris mensura dolor
 est, Ludovicus XIII. cum regni sui pro-
 ceribus, defuncto mœstus parentavit.

12. Ferdinandus secundus, optimi
 Patris, optimus Filius, Austriacam pie-
 tatem cumulavit Imperator piissimus:
 rarum prodigium est summi honoris
 cum summâ pietate connubium, præ-
 esse terris, & terrenis animum non in-
 quinare; tenere solium, & subjectione
 sua Deum exaltare; radiare purpurâ,
 & cœleste lumen purius admittere;
 proferre sceptrâ, & Deo regna ac im-
 peria fundare: dictare humana jura, &
 divina

divina sanctius observare, hoc verò est,
 igni aquam sociali foedere maritare;
 verbo, prodigium est naturæ, & gratiæ,
 hoc in terris augustam Cœli majesta-
 tem exhibet, hoc in humanis divinita-
 tem repræsentat. Lâuretanam Virgi-
 nem peregrinus invisens, domesticam
 Dominam, ac Reginam Orthodoxæ fi-
 dei salutavit: ibique excindendæ hæ-
 reseos Sacramentum dixit, ubi Imma-
 culata Sanctitas serpentem calcavit. Bo-
 hemiæ, Hungariæ, & Germaniæ Rex,
 ac Imperator Coronatus est; sed ne
 quidquam in eligendo Imperatore va-
 leret fortuna, moderata Septemviro-
 rum calculos Cœli & terræ Imperatrix
 evicit, quippè quæ Moguntino An-
 tistiti ut constanter eligeret Ferdinan-
 dum imperavit. In solio Imperator
 collocatus, eisdem armis, regna & Im-
 perium defendit, quibus invasit; augu-
 stâ videlicet in Deiparam pietate, eun-
 dem dixisses, & Orbis Imperatorem, &
 Dei Apostolum. Pastorem se ratus, oves
 lupis eripuit; & ut securæ essent, in ovi-
 le coëgit. Centies centena animarum
 millia Orthodoxæ fidei restituit. Id si
 magnum est in Apostolo; in Imperato-
 re prodigium.

C c

Id unum communi deficientium Provinciarum tumultu sentiebat, quod Deum exulere cogere, quem ipse perpetuum civem cupiebat; nec pericula sua metu, nec calamitates luctu dignatus, infra se omnia, semper in faciem Regis Gloriæ aspiciens, cælestibus spiritibus simillimus despexit. Pius Princeps ut Deo conciliaret perduellium animos, Majestatis ac potentia oblitus, clementiam obtulit. Sed vicit, pertinacia sceleris, constantiam lenitatis, collatis undique armis cæduntur rebelles, coguntur Bohemiæ urbes; ubique sparso per Maximilianum Bavarum, Christianum Machabæum, Ferdinandi terrore, Pragæ & Friderico jam metuenti, tota tempestas incumbit. In monte Albo suprema Belli alea jacitur, & hostium sexaginta milium exercitus cæditur: adeo feliciter militant qui Deum habent commilitonem: pietatem omnium victricem hic pugnasse non dubites, pugnante pro Ferdinando Imperatore Empireo, cum Ferdinandus pro Cælo præliaretur: Dominicus Crucem prætulit, quam cum spectaret miles, animis id audiebat: *In hoc signo vinces.*

Sufficiens victoriæ præmium, ipsam ratus victoriam Imperator pientissimus, triumphum cessit magnæ Cœli terrarumque Reginae Mariæ.

Severum Imperatoris nomen, Austriacâ pietate diffimulans, omnium, pauperum, pupillorum, Religiosorum, & Ecclesiasticorum Patrem nutritium se præstitit; de annonâ tot spiritualium filiorum sollicitus, omnes regnorum opes suæ munificentia materiam fecit. Canalem dixeris ejus gremium: cum affluerent plurima, effluerunt omnia. Aiebat: *Officium Principis, officium esse optimi Patris, tam augustum & suave nomen, sola largitate sustineri.*

Alieni sanguinis quàm parcissimus; sui omninò prodigus, si hic vel tuendo Dei honori, vel servandæ justitiæ serviret. Duobus hisce cardinibus, universam Imperii ac regnorum molem versare videbatur; *Zelo Pietatis & Justitiæ.* Ferdinandi invictissimum animum, cujus firmamentum solus Deus erat, nec adversa dejecerunt, nec prospera elevaverunt. Gustavum in blandientis fortunæ affluxu dicere solitum ferunt; unam sibi terrori esse Ferdinandi vir-

tutem: quæ demum à Turcarum Principe id extorsit elogium. *Ferdinandus Sanctus est: Deus cum illo est: & pro illo pugnat.*

Audisti Austriacæ pietatis Historiam, subscribe, Ferdinandus Piè vixit, Piè obiit.

13. Ferdinandus tertius Romanorum Imperator, Ferdinandi secundi, maximi Patris, Annæ Mariæ piissimæ Matris, æquè maximus ac piissimus Filius, justus, fortis, sapiens, omnem ætatem, aut sapientiæ oraculis, aut virtutis prodigiis implevit. Qui pro omnibus sapere debet Imperator, nunquam satis sapit, nisi sapiat, supra omnes. Sed non est vera sapientia, nisi sit pietati ad omnia utili, cõjuncta. Audite victoriarum, & Triumphorum Ferdinandi præludium! extremum viaticum, militis ad Tugurium deferebat Mysta; primum se viatorem, & comitem, Rex jungit Ferdinandus. Rudolphi nempè victoriosi, jam tum insistens vestigis, eandem sibi, ad victorias, & laureas, quam ille ad Imperium, & coronas viam aperuit. I, perge sapiens, Piè, & felix Ferdinande, Regia hæc Austriacorum ad coronas, & lauros est via: hunc ante vi-

Historiam licet agere triumphum. Devictâ Ratisbonâ, Nordlingæ campus plurimum capax Hæctorum, duobus aperitur Ferdinandis, Patri, & Filio; sex millia hostium capta, duodecim strata, impedimenta omnia direpta; unius campi pugna plurimarum Provinciarum victoria fuit triumphatrice in Austriacis Ferdinandis, Eucharistiâ.

Nec minus Mariam Filiali affectu, quàm Deum summis honoribus, prosecutus est Ferdinandus, hujus Dei Genitricis semper Virginis Immaculatæ Conceptioni, Universitates, Provincias, se totum scripsit, juravit, devovit in perpetuum.

Adesse tandem stadii metam, ex morbo pedum colligens, toties in suis mortuus, nil mori moratus est. Unum hoc suorum, sui que in morte contestans: *Voluntas Dei, vita mea.*

14. Ferdinandus quartus, Ferdinandus tertii Filius, secundi nepos, primi pronepos: ex Serenissimo Austriacæ familiæ sanguine Cæsar in terris XIV. in Cœlis XIII. omnium viva imago, & perfecta expressio fuit. Illi ingredienti mundum janua Cœli aperta est; ut, quo victurus tenderet disceremus. Te-

neris Mariam labellis nominare vix didicerat, & ex illâ horâ accepit eam in sua. Consummatus in brevi, explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius, Regias omnes, Austriacæ Domus virtutes complexus, adjecit quod summum est, Innocentiam Majestati.

Tres coronas reliquit in terris, ut unâ potiretur in sinu Regis Regum Christi JESU, quem magna devotione dilexit.

15. Leopoldus Augustus Germaniæ Regum, ac Imperatorum à Carolo magno, Romano - Germanico Cæsare quinquagesimus: Europæ Catholicæ Jubilæum attulit; ut sperare possit sub illo; quem Deus optimus, maximus Orbi Christiano dedit Imperatorem, suæ libertatis Indulgentiam.

*Sic advocemus, quisquis amabili,
Momenta Regum numine prosperas,*

Sortesq; regnorum, vicesq;

Imperii moderaris: audi

Votum tuorum! prima Alemania,

Spes vivat Orbi! vivat, & Aureo,

Fluxu laboratos reponat,

Imperio Leopoldus annos!

Eò omnia unde, omnis gloria Augustissimæ Domus Austriacæ, ab Eu-

charisticâ pietate Rudolphi primi victoriosi procedens, sicut lux crescat usque ad perfectum diem: nullus quippe est, ex Austriacis Principibus, qui hanc avitam pietatem, ad omnia utilem, illustri aliquo facinore non nobilitavit. Dum hæc scribo: XX. Januarii, memorandum pietatis Austriacæ erga Divinam Eucharistiam argumentum, præbuit Serenissimus Hispaniarum Monarcha Carolus II. è Palatio Suburbano Madritum rediens, incidit in Sacerdotem, qui ad vicum vicinum, Sacram Hierotecam deferbat, confestim è rhedâ exiit, & supplici corporis demissione, præsens Numen adoravit; jussimque rhedam conscendere Sacerdotem, pedes sequutus est, ad usque decumbentis domum: Prætensa ad currus Ostiolum manu; adstitit ipsemet viaticum recipienti, blandè verbis solatus est ægrum, & largiter concessâ, quam pænes se gestabat pecuniâ, fore se orbæ familiæ protectorem liberaliter adpromisit. Eâdem reverentiâ, redeuntem Sacerdotem profecutus est ad usque Templum Sancti Marci, unde Domum inter lætitiâ gestientis populi acclamatio.

nes, in Regiam se recepit Rex pius.

Fide Catholicâ, unione arctissimâ cum Sanctâ Sede Apostolicâ, & pietate Eucharisticâ, benè fundatâ, & gloriosè exaltatâ, stabit Augusta Domus Austriaca; quam Deus optimus maximus magnis suis Donis cumulet, ac coronet in perpetuas Æternitates!

M E N D A

E M E N D A N D A .

Nova Bella Judic 3.	Judic. 5.
In Epist. Verisimile.	Verissimè,
Majestatis.	Majestati,
Apparatus P. 3. Emissam.	Egressum,
P. 5. Tam Principes & quam	Tam Principes, quam
Parte 1. P. 7. Et Incarnatâ.	Et Creatâ,
P. 39. Gabriel.	Gabrieli,
P. 57. Maximus,	Maximi,
P. 58. Quod vobis,	Pro vobis,
P. 74. Prærogativæ,	Prærogativas,
P. 16. Pietatis,	Addendum ardore,
P. 230. Propugnatae,	Propagatae,
P. 248. In quem,	In quod,
P. 278. Corona,	Coronam,
P. 300. Ex Augustino,	Nomine Augustini,
P. 310. Tertiæ,	Secundæ,
P. 346. Christiani Jesu,	Christi Jesu,
P. 341. JESUS-CHRISTI,	JESU CHRISTI,
P. 346. Confirmas,	Confirma,
P. 360. Necessitatâ,	Quæ libertas nec ad
bonum, nec ad malum est necessitata.	